



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Charta de controversia & de bello quod fuit inter monasterium sancti
Albini Andegavensis & Giraudum de Blancofurno pro terra Croiaci prope
Peregrinam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

dentis, juxta postulationem venerabilis fratris nostri Rainaldi Andegavensis Episcopi quieti vestrae in posterum super hoc negotio duximus providendum. Presentis igitur decreti pagina convenientiam illam quae per supradicti praedecessoris nostri deliberationem constituta est firmam perpetuo permanere decernimus, omnimodis prohibentes ne super illa sancti Iohannis Ecclesia ulterius sancti Albini monasterium Vindocinensis Abbas inquietare praesumat. Quod si praesumpserit, inquietatio ipsa vires nullas obtineat.

Ego Paschalis Catholicae Ecclesiae Episcopus subscripsi.

Data Beneventi per manum Iohannis Diaconi Bibliothecarij VII. Kal. Iunij, Indictione VIII. incarnationis dominicae anno MCXV.

CHARTA DE CONTROVERSIA

& de bello quod fuit inter monasterium sancti Albini Andegavensis & Giraudum de Blancofurno pro terra Croiaci prope Peregrinam.

TEmpore quo Girardus Abbas monasterio sancti Albini praerat, quidam homo, Girardus de Blancofurno dictus, & Hubertus filius ejus, cum reliqua parentela sua, in quandam terram sancti Albini calumniam miserunt quae dicitur Croiacus, & est juxta Peregrinam. Hoc idem se fecisse dicebant temporibus aliorum Abbatum. Et cum Abba Girardus calumniam eorum sedare nequivisset, habuit placitum cum eis apud Peregrinam; in quo huiusmodi narrationem fecit Girardus. Matri meae duae sorores fuerunt: quarum una, cui nomen erat Amelina, sicut mulier lasciva, cuiusdam servi sancti Al-

Circa an.
1096.

bini, cui nomen erat Otgerius, concubina devenit. Quo facto, parentes ejus cœperunt mortem Otgerio minitari, nisi eam duceret in uxorem; sed cum minas eorum sperneret, & hoc de anno in annum facere differret, dederunt ei terram supradictam cum Amelina in matrimonium; & ob hoc fecit eam sibi uxorem. Modò verò, quia nullus est de genere Amelinæ aut Otgerij qui terram illam habeat, reclamamus eam; quia de nobis movit, & ad nos reverti debet. Finita itaque ista narratione, venit in medium quædam mulier bonum testimonium habens, quæ istam narrationem ostendit esse falsam, dicens. Terra de qua sermo est, sancti Albini erat antequam Otgerius Amelinam duxisset in uxorem; nec eam Otgerius accepit in matrimonium cum Amelina. Hoc quod dico vidi, & inde testis sum. Sed cum Giraudus verbis ejus fortiter resisteret, monachi verba mulieris vera esse cognoscentes, ceperunt bellum contra Giraudum & Hubertum. Determinato itaque loco ubi bellum fieret, curia scilicet sancti Petri Burgulienfis, convenerunt utrinque, Raherius scilicet cum suis, qui erat dominus Girardi & Huberti, & Girardus Abbas sancti Albini cum suis. Iuratis igitur ut fieri solet sacramentis, campiones invicem pugnare cœperunt. Et cum aliquandiu pugna durasset, videntes Giraudus & Hubertus quòd campio suus non bene se haberet, dimiserunt calumniam, & terram, pro qua bellum erat, solidam & quietam monachis clamaverunt. Devenit autem Giraudus ibi frater Abbatis sancti Albini & monachorum. Dedit etiam illi Abbas Burgulienfis beneficium monasterij sui, pro amore Girardi Abbatis & ejus monachorum. Custodes belli & testes dimissæ calumniæ sunt isti. Abbas Batoricus, cum monachis & burgensibus suis, Marbodus Archidiaconus, & quidam ejus Clericus nomine Hubertus Acharias

Atharias filius Vitalis parchaminarij, Haimericus de Berneziaco, Rainaldus Vicarius, Rainaldus Porcellus, Alerius Præpositus de Lavigais; de hominibus sancti Albini, Aldulfus Præpositus, Haimmarus Malspetit, Vvalterius Bornus, Rotbertus de Trevin, Arnaldus Brion, Firmatus, & alij plures, quorum nomina longum est hic scribere; de parte Giraudi, Hubertus filius ejus, Odo de Iantret, Hildinus de Reliaco, Adraldus de Balgentiaco, Goscelinus li Canpions.

*PRIVILEGIUM VRBANI
Papæ II. de Ecclesia Gratianopolitana.*

VRbanus Episcopus servus servorum Dei carissimo fratri Hugoni Gratianopolitano Episcopo ejusque legitimis successoribus in perpetuum. Potestatem ligandi atque solvendi in cælis & in terra beato Petro ejusque successoribus auctore Deo principaliter traditam illis Ecclesia verbis agnoscit quibus Petrum est Dominus allocutus: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* Ipsi quoque & propriæ firmitas & alienæ fidei confirmatio eodem Domino auctore præstatur, cum ad eum dicitur: *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua Petre. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Oportet ergo nos, qui, licet indigni, Petri residemus in loco, prava corrigere, recta firmate, & in omni Ecclesia ad interni arbitrium judicis sic disponenda disponere ut de vultu ejus judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem. Tuis igitur, dilectissime in Christo frater Hugo Gratianopolitane Episcope, justis petitionibus annuen-